

*Vergil's Aeneid 1.19-33*

Prōgeniem sed enim Trōiānō ā sanguine dūcī  
audierat, Tyriās ōlim quae verteret arcēs; 20  
hinc populum lātē rēgem bellōque superbum  
ventūrum excidiō Libyae: sic volvere Parcās.  
Id metuēns, veterisque memor Sāturnia bellī,  
přīma quod ad Trōiam prō cārīs gesserat Argīs—  
necdum etiam causae irārūm saevīque dolōrēs 25  
exciderant animō: manet altā mente repostum  
iūdicium Paridis sprētaeque iniūria fōrmae,  
et genus invīsum, et raptī Ganymēdis honōrēs.  
Hīs accēnsa super, iactātōs aequore tōtō  
Trōas, rēliquiās Danaūm atque immītis Achillī, 30  
arcēbat longē Latiō, multōsque per annōs  
errābant, āctī fātīs maria omnia circum.  
Tantae mōlis erat Rōmānam condere gentem!